ANNIBALIS RAYMVNDI VERONESNIS, DE EA STELLA DISCVRSVS,

Quæ ſuperioribus Nouembris, & Decembris Menſibus 1572. quàm plurimis diuerſarum nationum viris tantam attulit admirationem, & variam quoque præbuit loquendi,& iudicandi materiam.

SERENISS. PRINCIPI ATQVE ILL.^{MO} ET EXCELL.^{MO} MAIORI CONSILIO VENETIARVM.

PRVDENTIA

DVCAT



NEGOCIVM

NON FORTVNA

Digitized by Google

SEREN.MO PRINCIPI ATQVE ILLVS.MO ET ECCELL. MAIORI CONSILIO VENETIARVM.

CVM multis de cauſſis hoc tempore debeam Ser. Princeps, Ill. & Eccel. Maius Conſilium, Virorum Illuſtrium præceptis, quibus omnino parendum eſt, maximum ſubire laborem, licet grauiſſimè ſim affectus, & Senectutis onere valde excrucier: nolui tamen Prouinciam recuſare, licet ipſa multo difficilior, & grauior eſſet, ne dum eorum opinioni aduerſari, qui ſtellam, tribus adhinc menſibus in ore omnium verſantem, hoc noſtro tempore ortam eſſe exiſtimant. Itaque, cum de ea mihi liberè loquendum ſit, tres à diuerſarum gentium præſtantibus viris excogitatæ opiniones, non iudicio quidem meo, ſed officio, & ipſius veritatis defenſione, reijciendæ ſunt, ſi tamen, quid ipſe ſentiam, veritati conſentaneum haberi deſiderem. Quarum vna eſt, præſentem ſtellam nouam eſſe, nunquàm aliàs in Cœlo viſam, à nemine cognitam atq; ſeruatam. Altera huic aduerſatur, & nouum profert iudicium hanc ſcilicet Cometam eſſe. Tertia ab vtriſq; multum diſſentiens, nouum eſſe Planetam perperam iudicauit. Ipſe quartam addidi, cuius veriſſimis argumentis, & probatiſſimorum ſcriptorum ſententijs cæterorum ita facillimè confutantur opiniones, ut quiſque ueritatis amator, atque defenſor pro certo habere debeat, huiuſmodi ſtellam fixam eſſe, una cum alijs in firmamento poſitam, & collocatam, antequàm ADAM primus cunctorum hominum parens ex humo creatus eſſet. Sed, quoniam huiuſmodi ſtella non in Italia ſolum, verùm in Germania quoque, Gallia, Hiſpania, omnibusq; terrarum Orbis regionibus, materiam ijs loquendi præbuit, & iudicandi, qui Aſtrorum ſcientia, & cognitione plurimùm valent, mihique tam varia ſint præſtantium virorum impugnanda iudicia, præclarè mecum actum iri exiſtimaui, ſi ipſe fideliſſimus huius inuictiſſimæ Reipublicæ ſubditus ad munitiſſimum propugnaculum ſub V. Ser. atq; Ill. & Excell. maioris Conſilij tutela, & patrocinio me reciperem: Is etenim locus maximè abundat clariſſimis ſingulari ingenio, excellentiaq; Doctrina viris, qui Cælorum, ſtellarum, atque Elementorum, nouorumq; luminum naturam optime tenent: Quorum iudicijs fretus, veritate per me pateſacta, & veriſſimis argumentis munita, à quacunque iniuria me tutum eſſe exiſtimabo.

Venetijs 25 Ianuarij 1572

Ser. V. atque Ill. & Eccell. Maioris Conſilij

D. S. Annibal Raymundus.

CVM ipſe mecum excogito nihil vnquam in vita à me commiſſum eſſe, quod iniuria ſtellas afficeret, quæ in Caſſiopeiæ imagine, aut ſede poſitæ ſint, meque hoc tempore occaſione cuiuſdam ipſius Caſſiopeiæ ſtellæ coactum eſſe aliorum iudicio committere honorem meum, atq; exiſtimationem, quam integram in toto vitæ ſeruaui curriculo, atq; ab omni labe, & macula alienam retinui: Equidem non poſſum non valde queri, & grauiter commoueri.

Cum Octobris ſuperioris initio M D L X X I I, vt audiui, annuente DEO, in diuerſis Orbis terrarum regionibus varia hominum genera tam Nobilium, & Aſtrorum cognitione præſtantium, quàm piſcatorum, Artisq; Nauticæ profeſſorum, ſtellam quandam intuita eſſent, quæ ad Polum Articum verget, quæq; communi omnium opinione, & conſenſu Mortalium oculos non mediocriter illuſtrabat: hinc factum eſt, vt varijs in locis uarij, & diuturni haberentur ſermones, eaque tunc temporis percurrerent homines, quæ ſi modo narranda eſſent, mihi quidem & cunctis magnum timorem incuterent.

Hoc autem ea de re accidit, propterea quòd non diligenter obſeruarunt, & accurate (cælorum curſus, ſtellarum lumē, & magnitudinem, vt tot Aſtrorum ſcientia peritiſſimi Ptolemæi, illuſtres Aegypti Reges, ſumma cum laude, & perpetua gloria fecere: quibus quidem nunquam perſuaſum eſſet, huiuſmodi ſtellam recentem eſſe, nunquam aliàs uiſam, Cometam, aut nouum Planetam; quoniam ſtatim reſpondiſſent ſtellam eſſe vna cum cæteris fixam, & collocatam in firmamento in Caſſiopeiæ præcipuè Cathedra, antequàm A D A M primus cunctorum hominum parens ex humo creatus eſſet, vt ipſe quoque die primo dixi, cum eam intuitus eſſem.

Vtinam ſingulari quodam Dei Op: Max. beneficio factum eſſet, vt omnes homines Aſtrorum ſcientiam & cognitionem ita præclare tene-

rent, ut tot illi Ptolemæi præſtantiſſimi Reges, quoniam non eſſet, cur hoc tempore meam de hac ſtella in lucem ederem opinionem, quid eam ſcilicet eſſe, cuiusnam boni, & felicitatis nunciam, quidque mali, & miſeriæ portendere exiſtimem, niſi mihi ab ijs imperatum eſſet, quorum auctoritas, & iudicium apud me plurimùm valet, & plurimùm quidem valere debet.

Cum igitur ea de re tractare debeam, & huiuſmodi laborem honeſte fugere non poſſim, ut, quid ipſe ſentiam, facilius intelligatur, ordine recenſebo aliorum opiniones, & quemadmodum diuerſi diuerſum de hac ſtella ſecuti ſunt iudicium, explicabo.

Tres igitur fuere, atque etiam ſunt opiniones, ut ex amicorum congreſſibus, & oratione excipere potui, quas omnes veriſſimis argumentis, & probatiſſimorum ſcriptorum dictis, & ſententijs omnino reijcere conabor, pace tamen eorum, qui non credunt huiuſmodi ſtellam, de qua contenditur, in Caſſiopeiæ ſedis angulo fixam eſſe, & collocatam.

Prima igitur opinio magni quidem ponderis eſt, quoniam huius auctores tenent, & arbitrantur ſtellam, de qua ſermo habetur, nunc ortam eſſe, nullo unquam tempore in Cœlo apparuiſſe, à nemine cognitam, & obſeruatam, nullam poſtremo ſtellam in eo fuiſſe loco, in quo ea ipſa nunc ſita eſſe aſpicitur.

Secunda opinio non ita valde difficilis eſt, veluti prima, & facillime confutatur, licet ab ipſa philoſophia non multum diſcrepare uideatur. Aiunt enim hanc eſſe ſtellam haud ſanè nouam, ſed Cometam arbitrantur: De qua tamen in externis, atq; alienis locis variè ſunt homines locuti. Quidam enim eam faciunt barbatam, quidam crinitam, quidam verò caudatam; illud etiam non prætermiſſum eſt eam ſe in girum uertiſſe, & admirabilem curſum feciſſe.

Tertia opinio quorundam eſt, quos penitus ignoro, qui negant eſſe ſtellam fixam, atque Cometam, ſed nouum eſſe Planetam peſſimè arbitrantur.

Huius

Huiuſmodi opiniones tribus abhinc menſibus ortæ diuerſas prouincias, & regiones peruagatæ ſunt, earumque auctores, vt præclariſſimorum virorum litteris perlatum eſt, in opinionibus adhuc pertinaciſſimè conſtant.

QVOD attinet ad primam eorum opinionem, qui tenent ſtellam, quæ in ore omnium verſatur, nouam eſſe, nunquam aliàs in Cælo viſam, neque præteritis temporibus in ea Cæli parte ab Aſtrologis obſeruatam.

Hoc apertiſſime negatur, & ab ipſa veritate probatur omnino abhorrere, propterea quòd nemo quidem erit, qui iudicio valeat, qui 48. Imagines, de quibus varijs in locis diligenter, ac erudite tractarunt Aſtrorum ſcientiæ Excellentiſſimi profeſſores, qui non liberè, & ingenue fateatur ſtellam à multis nouam habitam, ueterem eſſe, atque antiquam ex earum ſtellarum numero, quæ in Caſſiopeiæ Cathedra fixæ ſunt, & collocatæ, licet eam multi in Perſeo, quidam uero in Andromade conſtituant: ſed hi omnes, quantum ad ſitum, grauiſsimè errant.

Et quoniam hoc argumenti genere id non ſatis aperte verum eſſe conſtat, is ipſe volui eſſe, qui hoc facillime indicaret, nullis parcens laboribus, ne quis mihi obijciat de Cæli ſitibus, & locis, vbi ſtellæ treſdecim Caſsiopeiæ Sedem, atque Imaginem formantes collocantur: in quarum numero hæc eadem eſt, quæ tantam hominibus attulit admirationem.

Itaque uiſum eſt tutiori doctrinæ modo, & dubitationes omnes remouendi cauſa treſdecim Caſsiopeiæ ſtellas reducere, easque certas reddere ſub anno præſenti, videlicet MDLXXII, Quinto Octobris Die, Hora poſteræ noctis prima, cum duobus tertijs horæ, ad Meridianum præclariſsimæ Venetorum Vrbis, cum eo ipſo die, ut audiui, de huiuſcemodi ſtella homines loqui cœpiſſent.

Quinto

Digitized by Google

Quinto Octobris die 1572. hora 1ª ⅔ poſteræ noctis.

		4^i	3^i	2^i	1^i	M^i	2^i	3^i	4^i
Era Temporis		2	39	28	6	5	12	10	0

		S^i	G^i	M^i	2^i	3^i	4^i
M.M. Augiũ & ſtellarum fixarum	9ª	0	11	32	53	22	17
M.M. Acceſſus & Receſſus	8ª	1	20	2	41	34	40
Equatio Equata A		0	8	51	48	12	38
Aux communis		0	20	24	41	34	55
Aux communis Alfonſi Regis		0	17	14	44	0	0
Differentia Gr.			3	9	57	34	55

Differentia communium Augium inuenta ab Imperij Antonini Pij initio, & Alfonſi Hiſpaniæ Regis, & addita ad ſtellarum fixarum longitudinem uſque ad quintam Octobris diem 1572. in Signis & gradibus defigendæ ſunt, ut hic infra patebit.

Conſtellatio Caſſiopeiæ.

		Longitudo			Latit.		Magnit.
1	Quæ in capite	♈	28	8	45	20	4
2	Quæ in pectore	♉	1	8	46	45	3
3	Borealior ipſa & eſt in Cingulo	♉	3	23	47	50	4
4	Quæ in lumbis	♉	6	58	49	0	3
5	Quæ in genibus	♉	10	38	45	30	3
6	Quæ in tibia	♉	17	18	47	45	4
7	Quæ in extremitate pedis	♉	21	58	47	20	4
8	Quæ ſuper humerum ſiniſtrum	♉	4	58	44	20	4
9	Quæ ſuper cubitum ſiniſtrum	♉	7	58	45	0	5
10	Quæ in brachio dextro	♈	22	38	50	0	6
11	Quæ ſuper erectionem Sedis eſt	♉	5	18	52	40	4 ✱
12	Quæ in media Sede ſeu cathedra	♈	28	8	51	40	3
13	Quæ in extremitate Sedis	♈	23	58	51	40	6


OMNES hæ quidem ſtellæ M. D. LXXII. Quinto Octobris die verificatæ ſunt: nunc reliquum eſt, ut cuique liquidò pateat, ſtellam

ſtellam tantarum admirationum excitatricem fixam, veterem, & antiquam, hac noſtra ætate haud natam eſſe.

SED quoniam vetuſtiſſimum eſt, qui oculorum ſenſu aliquid percipit, eum non amplius dubitare, ſed firmiſſimè credere, idcirco qui Caſſiopeiæ, atque eius Cathedræ ſtellas ſuſpicare volent, prima noctis hora, Februarij initio, (cæloque ſereno Borealem ſtellam intuebuntur, eamque, vt inuenerint, ſex perticarum interuallo à ſtella Polari prædicta, & ab eorum ſpectantium capite diſtantem, qui ſex totidem perticarum ſpatio intuebuntur quartam verſus Magiſtralis venti; in ea cæli parte, atque ſitu, Caſſiopeiæ, eiusque ſimul cathedræ conſtellationem videbunt, vt eo modo ſe habent ſtellæ, quemadmodum hic deſignatæ ſunt, modo cælum nubibus ſolutum ſit, atque ſerenum.

ET licet Februarij initio intuendum eſſe dixerim, hoc idem tamen fieri poteſt in fine, & Martij initio, atque alijs quoque diebus. Verumtamen eſt, quod quo magis morabimur, eædem ſtellæ Magiſtrum uerſus eo magis aſpicientur prima noctis hora; atque etiam tamdiu morari poſſemus, vt à ſtellæ Borealis latere decurrerent. Hoc autem nihil refert, quoniam illæ ſtellæ in noſtro Climate non tendunt ſub Orizontem, nocturno igitur tempore aſſiduè conſpici poſſunt.

Stellarum forma.



Hæc vetus igitur ſtella, quam errantes nouam eſſe dixerunt, in Caſſiopeiæ ſede eſt vndecima numero, quæ vna cùm ſecunda imagi-

nis ſtella Scheder appellata, & præfatæ Caſſiopeiæ imaginis quarta, atque etiam duodecima, quæ in Cathedra ſita eſt, hæ omnes quatuor ſtellæ laterum, & angulorum inæqualium Quadratum conſtituunt, in quo Quadrato Crux formari poteſt.

Redeo ad illud, quod initio propoſueram, præſentem ſtellam, quam defendendam ſuſcepi, ueterem eſſe, haud nouam, ſed cum videam eo ſermone vtendum eſſe, quem omnes intelligunt, dico igitur circum hanc meam ſtellã, magna cæli diſtantia ſtellas nullius generis eſſe, et loquor de primæ magnitudinis ſtellis vſq; ad ſextam magnitudinem; excepta ſtella Caſſiopeiæ imaginis quarta, eiusq́ue cathedræ duodecima. Quod autem ad uiam Lacteam pertinet, ne uerbum quidem faciendum eſt.

Caſſiopeiæ forma.



CVM igitur ſtellæ, de qua nunc loquor, magna cæli, vt ſupra memoraui diſtantia, nullæ aliæ ſtellæ propinquæ ſint, vt quiſque oculorum acie præſtans, tempeſtate ſerena, totoq; noctis tempore videre poterit, quo ſe uertent Caſſiopeiæ ſtellæ; hoc ſane argumento veritas ipſa patebit, quo mea fulcitur opinio, quæ tamen, vt omnibus liquido pateat, demonſtrare ſanè uolo quantum huiuſmodi ſtella diſtet à Polari ſtella Alrukaba nominata, cum id præcipuè indicet, quænam ſcilicet opinio magis ad veritatem accedat.

Stella Polaris declinationis habet	*Gradus*	86.	*min.* 11.
Mea vero declinationis habet	*Gradus*	60.	*min.* 13.
Differentia	*Graduum*	25.	*M.* 58.

Ex maiori numero excepto minori Gradus 25. M. 58. relinquuntur, mea igitur ſtella à Polari Alrukaba nominata per Gradus 25. M. 58. diſtabit.

Hæc diſtantia apertè declarat ſtellam eſſe veterem, hac noſtra ætate minime ortam, quòd autem hoc verum ſit, nulla profectò ſtella primæ magnitudinis ad ſextam vſque reperietur, quæ ſecundum longitudinem poſita ſit inter Gradus 4. & 7. Tauri, quæ Declinationis habeat iſtorum aliquem Graduum, uidelicet 60. 61. 62. præter meam veterem ſtellam, quæ ſecundum longitudinem in Gradibus 5. M. 18. Tauri collocatur, & Declinationis habet Gradus 60. M. 13.

Qui ſtellam eſſe nouam arbitrantur, eam ponunt ſecundum longitudinem in Tauri Grad. 6. M. 20. & Declinationis habere dicunt grad. 61. M. 40.

Hæc ab ipſa veritate alienum eſt. Nam cum mea ſtella, quæ in Caſſiopeiæ eſt, videlicet vndecima numero, magna Cæli diſtantia, circum ſe nullas, vt iam dictum eſt, habeat ſtellas, & Declinationis habeat Gradus 60. M. 13. certe oporteret ſtellam, quam nouam exiſtimant, apud meam eſſe duobus gradibus minus, eaſq; ambas videri, aut

ri, aut ueteri ablata, nouam eſse poſitam, quod fieri nullo modo poteſt.

Hæc noua igitur ſtella, ut paucis concludam, ſi eam habet Longitudinem, Latitudinem, Declinationem, & Diſtantiam, quam uetus habet mea, cum duo corpora in eodem loco ſimul eſſe non poſſunt, quemadmodum idem corpus in diuerſis locis non poteſt eſſe, neceſſario ea ipſa quidem eſt, quam appello meam, quæ ſcilicet in Angulo, ubi ſedet Caſſiopeia; Demonſtratur ſicut ex figura patet numero 11. nec aliter eſſe poteſt, quoniam Higinius hac de re huiuſmodi uerba ſcripta reliquit.

In Quadrato qua Sella deformatur in Angulis utriſque ſingulæ clarius cæteris lucentes.

Ex quibus ſanè uerbis colligitur undecimam ſcilicet ſtellam in Caſſiopeiæ Sedis angulo ſitam, cæteris, quæ in præfata Imagine ſunt, clarius lucere. Quamobrem ſtella noua non eſt, neq; Erratica, neq; Cometa, ſed profectò uetus, ut fuit ab Antiquis expertiſſimis Aſtrologis diuerſis temporibus ſæpiſſimè obſeruata.

Secunda eorum opinio, qui Cometam eſſe credunt, omnino negatur.

PTOLEMAEVS Aſtrologorum princeps multis in locis ſcriptum reliquit, ſtellas eſſe ſecundas, quas appellamus Cometas, eaſq; aſſerit à uolantibus ſtellis differre. De qua ſanè re ne uerbum quidem facturus ſum, quoniam ſtellarum fixarum patrocinium ſuſcepi, & philoſophis ſcribendum relinquam, an Cometæ calidis, & ſiccis exhalationibus, ſtellæque uolantes calidis, & humidis uaporibus generentur.

Si huiuſmodi ſtella, cum tamdiu durauerit, abſque ulla dubitatione Cometa eſſet, Equidem facere non poſſem, quin ederem in lucem quantum ad Aſtrorum cognitionem pertinet, quid felicitatis in hac infima Orbis parte ſignificaret, aut miſeriæ portenderet. Sed quia Cometa non eſt, nihil ea ratione in medium afferam.

Quod autem Cometa hæc eadem ſtella non ſit, multis ſane argumẽ-

tis

Digitized by Google

tis indicari poteſt. Et primo qui leget extremum Centiloquij Ptolemæi caput, eum ſcriptum reliquiſſe inueniet, Cometas Signorum vndecim ſpatio à Signo, in quo SOL reperitur, diſtantes, vel ante, uel retro apparere.

Ut ſi dicerem Octobris initio, quando hæc ſtella præbuit hominibus loquendi materiam, Sol in Libræ ſigno erat; ſi huiuſmodi ſtella Cometa fuiſſet, neceſſe profectò erat, ut in Sagittario, vel Leone, non in Tauri ſigno ab vtriſq; multum diſtante appareret. Quod ſanè argumentum ſufficeret, ut qui Cometam arbitrantur, opinionem tam ineptam & nullius prorſus conſiderationis abijcerent.

Sed hoc uno tantum argumento opinionem confutari nolo, illud igitur his opinantibus donandum cenſeo, & alijs quoque rationibus Cometam non eſſe probari.

Cometæ mane interdum ſolent apparere duabus, vel tribus horis, priuſquam Sol ſuper Orizontem oriatur, veſperi itidem cum ſub Orizontem tetenderit.

Cometæ ſolent uertere ſe Polum Articum uerſus, & ſi principio, cum apparent, in Libræ Signo erunt, quibuſdam poſt diebus uelociſſimè currunt, & ad Polũ accedũt, et ſæpe in ſigno Primo oppoſito. i. Ariete, quando in Seſtile, et quando in primi loci quadrato ubi primum aſpiciuntur.

Fuerunt etiam aliæ obſeruatæ Cometæ, quæ ueloci curſu iter Orientem uerſus fecere, & paucorum dierum ſpatio ab eo loco, in quo primùm uiſæ ſunt, longe abiere. Quæ dum illius Planetæ motus tenuere, qui exhalationem illam craſſam ad ſe traxerit, ex qua generantur, & ſi Planeta fuit directus, Cometæ quoddam mouendi genus ſecutæ ſunt: ſi autem retrogreſſus eſt, diuerſum à primo tenuere motum.

Nunc igitur ſcire vellem, quemnam motum hæc tenuit ſtella quam nouæ ſtellæ, Cometæ, & Planetæ quoq; titulis ornant. Vere dici nõ poterit iam tribus abhinc menſibus, cum de hac ſtella tam diuerſa uirorum præſtantiũ ſint ſecuta iudicia, eam è loco, ubi nunc eſſe aſpicitur, abijſſe.

B 2 Si

Si vero ipſa aliter ſe mouiſſet, ac fixæ ſtellæ mouentur, ne uerbum quidem facere auderem. Sed cum è Caſſiopeiæ Sede nūquam diſceſſerit, tacere idcirco non debeo, nec minus Cometam eſſe concedere poſſum.

Cum igitur ſatis aperte conſtet, ſtellam hanc è ſuo loco nunquam abijſſe, vt veriſſimum eſſe fateor, cæteris argumentis relictis hoc uno tantum Cometa non eſt, nec etiam dici poteſt; nec minus in numero Cometarum, & menſura haberi poteſt; quoniam VERV non eſt, nec ſimilitudinem habet, non Tenaculum, non Pertica, non Miles, non Dominus Aſconæ, non Matutina, ſiue Argentum, non Roſa, nec minus Nigra.

Quæ igitur hæc ſtella eſt? ea ſcilicet undecima numero, quæ eſt in Sede Caſſiopeiæ imaginis, vt multis in locis à me toties dictum eſt, & confirmatum.

Cum labore & officio me perfunctum eſſe exiſtimarem, quæſtio tunc temporis orta eſt, mihiq; ab his propoſita, qui à me vehementer diſſentiunt, qui ſcilicet ſtellam nunc apparuiſſe credunt. Aiunt enim eam eſse de natura Martis, illud etiam addidere eam ſtatus, & imperia mutanda, incendia, horrenda bella, & clades portendere.

Equidem, ſi vellē, ad tot tantasq; miſerias, & calamitates poſsem reſpondere, quas toti terrarum Orbi imminere credunt. Niſi crudeliſſimum bellum inter Rempub. Venetā & Turcarum principem iam tres annos excitatum audiſſent, aut vidiſſent, & vlterius progredi, maioresq; vires ſuſcepturum crederent, eos huiuſmodi ſtellæ & coloris, atque etiam luminis diuinatione tot mala, atq; infortunia pronunciaſse.

Sed quoniam putant præſens bellum, grauiſſimum quidem, & maximum diu fore duraturum, diſceſſerunt à recta iudicandi via, & ratione tantaq; mala fore pronunciarunt. Sed meo quidem iudicio huius præcipuè ſtellæ diuinatione longe errare poterunt.

Illud quoque non prætermittam, eos qui nouam ſtellam arbitrantur colorem, nec rectè vidiſse, nec iudicaſse; propterea quòd ea non

eſt

eſt de natura Martis, immo, ſi uerum proferre debeam, naturam Veneris imitatur. Sed quoniam hac in re nihil proprium dicendum cenſeo, ſatis erit hanc falſam, & praue excogitatam opinionem Ptolemæi Aſtrologorum principis, & Commentatoris Clypeo reijcere, meque ipſum eorum tueri ſententijs, ubi de ſtellarum, & Cometarum coloribus tractant.

Hæc ſunt eorum uerba. Et ſi ad rubedinem declinauerit, & tenderit uerſus uermilium, ſignificabit ea, quæ ſunt de natura MARTIS. Stella hæc his nondum coloribus fuit contaminata, eam idcirco de natura Martis prorſus negabo.

Addunt etiam iuxta Cælorum ordinem, & dicunt. ET ſi fuerit Croceus tendens ad colorem aureum, ſignificabit ea, quæ ſunt de natura VENERIS. Hic uirorum iudicium perſpicitur, Hic ſanè color eſt, quem tenuit, atque etiam nunc tenet hæc ſtella. Iure igitur quiſque eam de natura Veneris, haud Martis eſſe pro certo habebit.

Præter naturæ ſtellæ difficultatem, hoc quoque nouum dubitationis genus ortum eſt, qua ſtellam non fixam eſſe, ſed Cometam exiſtimant; propterea quòd cum tribus iam menſibus clariſſimè luceret, poſt corpore & lumine aſſiduè diminuatur.

Verum eſt ſuperioribus Nouembris, & Decembris menſibus, ut iam conſpiciebamus, clarè luxiſſe, & magnam eſſe uiſam. Quòd autem lumen auxerit, & diminuerit, nemo admirari debet, quoniam idē accidit Caſſiopeiæ ſtellis, & Vrſæ minoris; quas ipſe diligentiſſimè intuitus ſum ex cubiculi mei feneſtra; ex quo per malam ualetudinem, qua nimis grauiter uexabar, nunquam egredi mihi licebat. ſat ſcio, cum ea ſtella humano uiſui lucidior appareret, quam nunc apparet, omnes Sedis, atque imaginis Caſſiopeiæ ſtellas tùm quintæ, cùm ſextæ Magnitudinis, itidem & VRSAE Minoris optimè conſpici potuiſſe.

Cum autem ſtella iam dicta lumine diminuta ſit, idem quoque in cæteris tam Caſſiopeiæ Sedis, quàm Imaginis, & Vrſæ Minoris factum

eſſe

eſſe videri potuit. Quòd autem hoc veriſſimum ſit, qui nunc in Caſſiopeiam ſuſpiciet, nocte admodum ſerena, difficulter videbit ſtellam eius decimam tertiam, decimam vnà cum octaua, & nona itidem, & Vrſæ Minoris, cuſtodibus tamen & Alrukaba tantum exceptis.

Licet ratio ipſa vellet eas hoc tempore clarius, quàm antea lucere, cum ea ſtella fuerit lumine diminuta, propterea quòd veteri prouerbio dicitur, maiori lumine minus offuſcari.

De Augendo, & minuendo huius ſtellæ lumine, hæc dicta ſufficiant. verum ſi quis tam pertinax, & mentecaptus fuerit, qui experientiæ, cui nihil aduerſatur, & omnia cedunt, fidem adhibere noluerit; is philoſophos me doctiores inquirat, qui ei patefacere non ignorabunt, quotieſcunque tempus M. D. LXXII. tempori ſimile venerit, vt Nouembris, & Decembris menſibus, montes, & planities quoque ipſa maximis abundent niuibus, quæ non ita cito liquefiant, & duriſſima glacies unà cum furentium uentorum horrenda ui, atque peſſimo impetu vbique terrarum ſit, vt Sphæra quoque ignis frigere uideatur, nobis tunc apparebunt alterationes in Aere, Cælo, & ſtellis. Id autem non erit admirandum, propterea quòd nemo quidem eſt (qui tamen cæcus non fuerit natus) qui non memoria teneat, nocte interdum ſerena, infinitas ſtellas, & lucidiores præter conſuetudinem uideri; interdum clara quoque nocte, & ſerena minorem ſtellarum numerum minus lucentium apparere; idque raritatis aeris intemperantia, qui magis aliquando in vno, quàm in alio tempore, atque etiam magis in vno, quàm in alio loco aliquando patitur, verum eſſe quiſque cognoſcet, ſi Vitellionis libros diligenter euoluerit.

Itaque, ne ſermonis mei concluſionis oblitus videar, nego ſtellam tàm maximè admirandam nouam eſſe, itidem, & Cometam; licet huius opinionis auctores, ne breui cognoſceremus eam eſſe de numero fixarum, modeſtè quidem trium annorum ſpatium ſibi dederunt ad reſpondendum, cum quædam Cometæ (ſi verbis eorum credendum ſit)

vnius,

Digitized by Google